DE UNIVERSA VAPORIS IN VIIS FERRATIS ET IN NAVIBUS UTILITATE CARMINA ALCAICA...

Giuseppe Caregnato

DE UNIVERSA

VAPORIS IN VIIS FERRATIS

ET

IN NAVIBUS UTILITATE

CARMINA ALCAICA


JOSEPH CAREGNATI

IN AUGURATO

TRANSITU PER PONTEM VENETIS LACUNIS

IMPOSITUM

EDITA



Cur laude Cyrum, qui prior addidit
Certis veredos cursibus, erigis?
Cur fabulosas ad columnas
Sidoniis Tyriisque ab oris

Mercem per undas aequoris anxias
Narras adactam navibus advenis?
Ecquid labores perspicacis,
Oceano domito, Columbi?

Hujus beati gloria saeculi
In majus altrix omnia protrahens
Praestantioris mentis auso
Ingenio veterùm superstat.

Est, qui penetrans invia viscera
Telluris, audet perfodere, et struit
Impune pontes, qua superni
Fluminis agglomerantur irae.

Est, qui nitrati fulgure pulveris
Rupes ab imo cardine projicit
Late. Per agros et per aequam
Semita planitiem patescit,

Rotasque currus ferrea lamina,
Infixa lignis, desuper excipit,
Ignisque, repleto lebeti
Suppositus, calefactat undam,

Fontem vaporis: jam vapor efficax
Fervescit intus: fumus ad aera.
Sic igne et unda, sic vapore
Sumit opem, subitumque motum

Haud ille simplex currus, at aedium
Caterva longo nobilis ordine:
Centena paucis imus horis
Millia; per, velut ales, aethram.

Romana motu non ita splendido
Lectica Patres ad Capitolium,
Ad sumptuosas nec vehebat
Pontificum leviore coenas.

Te prodeuntem non sine gloria
(Dum terrae et undae diffugiunt retro)
Non pulvis, aurigaeve rixa, aut
Terret equus saliente gressu.

Quae dira plaustro turba satellitum
Obsistat? Audens quis rapiat tibi
De nocte nummos, vel diurna
Cuspide quis jugulum minetur?

Scandunt eodem cum pueris senes,
Cum matre laeta filia laetior:
Nil interest divesne, pauper
An simul insideat viator,

Qui, non relicta conjuge jamdiu,
Visit, revisit, pectora bellica,
Gallos, et Anglos, et celebres
Classibus atque opibus Batavos.

Siste, o viator, siste Bataviâ,
Qua strata primum ferrea praepetes
Sensere currus, aemulaeque
Prodigium didicere gentes.

Testis Borussis juncta Silesia,
Testis Viennae semita Saxoni:
Centum viarum latiore
Nomina quid celebrem sub Arcto?

Testis Ligurnus portus, et incola
Florentiae: sic curribus incubans
Urbes amoenis praeter omnes
Parthenope, Capuaeque plaudis:

Sic et frequenter nundina convenis,
Augesque lucro grata negotia, et
Nostras, vel externas tulisse
Fas tibi, fasque referre merces:

Sic dives agri fructibus Insuber,
Et miles Istrum paciferum bibens,
Fidusque mercator propinquant
Impositum Venetis Lacunis

Spectare pontem, non aliis parem,
Quo nec Triones, Luna nec Africae
Videre majorem, nec ortus
Solis, et Hesperium cubile.

Ter denus arcus Danubium super
Instabat olim claudere Daciam:
Nunc fama Trajani trecentis
Obstupet invidiosa pilis.

O rara cunctis orbis in urbibus
Regina salve pulchrior aequoris,
Tu, quae perenni firma cedro
Adriacis dominaris undis!

Dum totus orbis, quam vapor urgeat,
Vectoria currit rate, tu quoque
Incede per pontum frequenti
Navigio. Micet igne quamvis

Tonetque coelum; turbida murmuret
Adversus auster; fluctibus infremat,
Instantis et signum pericli
Imperiosius edat aequor;

Commissa merces non tamen innatat,
Puppisque portum protinus occupat.
Quid vela? Quid remex? carinae
Dux vapor, et columen, salusque.

Nec moeret annos navita labier,
Mensesque tardos, sed numerat dies,
Tenditque visurus remotos
Occiduos populos, et Indos.

Hinc sic loquutus qui Pharios regit:
Gens, quae superbo prosiliens Tago,
Audax Atlantaeas per undas
In Lybiae penetrare fines,

Et visa nunquam litora Cafriae
Transisse, tandem navibus Indiam
Advenit; et lucrum süetum
Adriaco eripuit Leoni;

Jam cedat ultro: cedat et Anglia,
Quae, saepe currens per Lybicas aquas,
Exercet extremis potentes
Major opes Orientis oris

Negotiatrix. Tempus adest, adest,
Interminatus quo medius liquor
Transmittat Europen ad Afros,
Me Domino, pelagusque Rubrum.

Quid bella vano proficiunt duci?
Huc otiosi militis ordines
Densentur, atque insigne factum
Expediant: Fodiendus Isthmos.

Sit cuncta tellus obvia, qualibet
In parte pontus: non veto: quin, fluant
Hinc inde, primum sed jubenti
Divitiae mihi crebriores:

Nec jam Magellani usque patens fretum,
Ex quo Moluccas itur ad insulas,
Isthmonve scindendum Panamae,
Rex ego, Rex Asiae, timebo.

Patavii, Typis Seminarii, 1846